




Venditur Authori a. Imperiali.

HERCVLIS, DVCIS FERRARIÆ:

& Cornelij Bentivoli, exercitus Gallici in Italia
 militantis, Præfectorum: cusi Anno

Christi 1553.



Obile hic tibi rursus, Lector benigne, pat virorum
 offerimus: Herculem II. Ducem Ferrariensem:
 Marchionem Esthensem: Principem Carpi, &c. &
 Cornelium Bentivolum, ex Illustrissimâ Bentivolo-
 rum familia (qui olim Bononiæ Principes extite-
 rant) oriundum. Uterque cum nominis famæque
 suæ celebritatem eò usque extendisset, ut nihilei
 addi posse videretur: non tamen eam, quam fato
 prorsus benigno consecutus fuerat, animi corporis-
 que fortitudinem latitare iis in armis voluit: quæ pro Rege Galliæ, contra
 Cæsarianas & Philippi cum primis copias, induerat. Fama namq; de Caeto
 recupe-

recuperato non solum cladis, ad Fanum Quintini acceptæ, oblivionem animis hominum induxerat: sed & Gallis, & Ferrariensi ad majora audenda animos fecerat. Ac Galli quidem de Orbitello consilium inierant, quod ad illos relatum esset, ab eâ parte, quæ stagnum respicit, infrequentiores excubias fieri. Eò igitur profecti, cum ad locum destinatum summo silentio venissent, scalæ quibus enitendum erat, iusto breviores repertæ sunt culpâ ejus, qui illarum fabricandarum curam susceperat: & ita re infectâ discessum est, tormentorum dispoſitione aliquotè Gallis amissis. Ferrariensis verò, qui videret Casarianos magnis incommoditatibus consistari, ob idq; in hyberna concessisse, cum suis egreditur: & Parmensem agrum in prædam effusus vastat: nec non Brixellenses præſidiarij ad Vitalis usq; Fanum excursionem factâ octo cataphractos capiunt, & Aſculani Principis signiferum. Diversâ parte Alphonsus Ferrariensis cum Cornelio Bentivolo à Galliarum Rege misso cum quatuor millibus peditum, ac quatuor tormētis Pauli fanum recipit, paucis qui in eo erant exutis militibus. Inde summo silentio transmissio Niccæ flavio, qui Regiensem agrum à Parmensi dividit, Garnigionem castellum obsidet, & ad motis tormentis quatit, cujus mox præſidiarij deditionem fecerunt. Tum Kossena verberatur, Corrigiensium castellum: quâ captâ, & direptionibus ac postremò incendio deformatâ, Canossa peritur: quæ tormentis pulsatâ, cum deditionem facere nollit, impetu capitur: trucidatis ferè omnibus præſidiariis. In emblemate altero *Rhinoceros* conspicitur cum inscriptione *urget majora. Quemadmodum enim Rhinoceros Elephantum sibi hostem eligit, omnium quadrupedum maximum: minoræ quævis contemnit animalia: victoriamq; ab illis partem ignominiosam potius, quam gloriosam statuit: sic Princeps ille magnanimus res non nisi arduas atq; difficiles urgendas existimabat: quod, quò grandius periculum est: eò plus laudis & gloria victori parit. Quid verò in nummo altero sol exoriens, ejusq; ante ambulo Lucifer? Innuit sine dubio Princeps pius, se in procellosâ vitæ suæ navigatione, divina potissimum providentia navem committere: huiusq; ductu & auspiciis in portum tandem deferri, qui est ab accessu ventorum immotus & ingens. Thuanus.*

Author.

NVM.